



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

8. S. Augustinus à paruulo eruditus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

nitare disputare. Dabo authorem pium, ea de re, quæ alioqui controuertitur, non dubitantem. Cuius hæc sunt verba.

VIII.
Thom Can-
tiprat. lib. 2.
Apum. c. 48.
§. 3.

Quid te inflas, humana superbia? quò tenderis? quò assurgis fortius, tantò turpius conquassaris. Audi, quid de Beato Augustino S. Volusianus in Laude mirabili testatur, dicens: In alijs sacerdotibus per mundum quomodocumq; toleratur inscitia, id est ignorantia. cum autem ad Augustinum ventum fuerit, Legi Dei deesse creditur, quidquid eum contigerit ignorare. Quid autem tam magnifico viro, super profunditate Sermonis & arduarum rerum disputatione, contigerit, audiamus. Inter miracula quædam Beati Augustini tale quid de eo reperitur. Eo in tempore, quo Beatus Augustinus librum de Trinitate composuit, illi tale miraculum Deus ostendit. Hipponensis ciuitas Africa nobilis, in qua Beatus Augustinus Episcopatum administrabat, super littus maris pulcherrimè sita erat. Beatus autem Augustinus in consuetudine habebat, ut, post diurnum studium ac laborem, vespere super littus maris, sequentibus eum à longè Episcopis & Clericis, qui eum, pro consilio & negotio vniuersalis Ecclesie, frequentabant, solus antecedens deambularet: ne scilicet eius contemplationem & studium fabulatio impediret. Cùm ergo sic solus, vice quadam, incederet, puerulum mira pulchritudinis super littus maris sedentem inuenit, qui factà in terrà fossà paruulà, sicut pueri in plateis ludentes solent, cochleari argenteo aqua de mari hauriebat, & in illam fossam paruulam effundebat. Quem ut Beatus Augustinus ita seriòse sedentem vidit, pedem mox pressit, & stetit. Procedensq; inde, puerum salutauit, & inquit, quid agat: Et puer cum magno serio respondens, volo, inquit, totum mare istud exhaurire, & isti fossa, si possum, infundere. Quo responso, quasi puerili, vir sanctus in risum decentissimum concitatus, respondit: Et quomodo, inquit, ô bone puer, hoc poteris? ingens mare est, paruulum cochlear, quo exhauris, parua etià fossa, in quam infundis. Et mox puer: possibilis, inquit, mihi est hoc facere, quod intendo, quàm te implere, quod cogitas. Ad hoc Beatus Augustinus mirabiliter stupefactus, quid hoc esset, interrogat. Et puer: Cogitatu, ait, voluis, & aestimas volumine breui concludere, quid sit illud indiuiduæ Trinitatis inexplicabile Sacramentum. Et hoc quidem antequam possis, isti fossa paruula potiùs totius maris undas infundam. Hæc dicens puer repente disparuit. Beatus verò Augustinus Christum in factò glorificans, quàm verum puer dixerat, mox aduertit.

IX.

Hæc ad Liburnū, portū Pisanorum contigisse tradit Iacobus Philippus Bergomensis. Quidquid sit de loco; de puero

IESV